

stita, ac in futurum continuanter, fideliter atque fructuose praestanda allegantes merita, consequenter in condignam reflexionem summenda enumerantes servitia, supplicarunt, semet in praesentibus circumstantiis temporum, ab eodem onere quarterii eximi et immunitari. Quorum Confiniariorum justa et rationabili, ad notitiam publicam, ex ipsa ratione praesentium circumstantiarum status, ac ipsis Confinariis, qui sub Excellentissimi Domini Comitis Bani moderni commanda et exemplari directione, ad instar aliorum Regiminum laudabilem assummentes Regulam, armaque, vestitum, Timpana, vexilla, atque necessarios Equos, ex propriis sibi comparantes, consequenterque et animum sibi in servitio Suae Majestatis Sacratissimae accendendo, praeter Vigiliarum praestationes Confiniorum, restantem continuandam repartitionem restaurari inceptorum continuare volentibus, ut Calcar et stimulus idem praeallegatus non tantum relinquatur, sed et eisdem tanquam hostico vicinis, et pro antemurali positus, vires conservandi, ac eundem stimulum serviendi, et bellandi, merito concedatur argumentum, Domini Status et Ordines omnino, pro hac vice, absque tamen consequentia, ab eodem praesentaneo onere quarterii eosdem praenominatos Regni confinarios immunitari, et nullatenus idem onus, ex rationibus et motivis praevis, in ipsos extendi debere unanimi voto statuerunt.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

1737. MENSE SEPTEMBRI. GLINAE.

Articuli Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, A. 1737. 4. et sequentibus diebus Mensis Septembris, Glinae, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, in generali eorundem Congregatione, Glinae, in novo videlicet eiusdem nominis Praesidio, confinio eidem Glinano et Commitatui Zagradiensi adjacente, ex edicto, et sub Praesidentia Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Domini Josephi Esterhazy de Galantha etc. Bani, pro die 4. et sequentibus Mensis Septembris Anni 1737 celebrata, conclusi.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Undecimus.

Litteras Excelsi Consilii Bellici Viennensis, Suae Excellentiae Banali perscriptas, Domini Status et Ordines communicatas habentes, Tractatum Pacis cum porta Othomanica in Regno Poloniae, Loco quippe Nemirov dicto, si non jam inchoatum, proxime certo inchoandum, posteaquam intellexissent; quando quidem ea, quae Partes hujus Regni Turcis vicinas, consequenterque salutem et majorem Regni subsistentiam respiciunt, non tam aliis,